Copia literarum a Czarea Maj.te ad Sultanum datæ St. Petersbourg, de Jul: 1710.

post titulos.

Siquidem ante aliquot tempus ex missis ad nos Magnum dominum literis de confirmatione pacis nomine Sultaneæ Vestræ Maj.tis intelleximus, quod S.nec V.ra Maj.tas fundatam inter nos et Fratrem suum Mustaffam Sultanum præter lapsis annis tricennalem pacem omnino confirmaverit, literisq suis ac juramento approbaverit et de inviolabili conservatione hujus nos securos esse voluit. Non potuimus non læto id animo percipere vicissimq suam Sult:am Maj. e parte nostra de inviolabili conservatione istius sanctæ pacis assecuramus: si non ex voluntate V.ræ Sult: Maj.tis datâ aliquâ offensione id impediatur. Quamvis vero post confirmationem nominatæ pacis speraverimus, quod V. Sult: Maj. ad præscindendas omnes causas, quæ violationem aliquam dictæ pacis, ad suspicionem suppeditare possint amoveret, hostemq nostrum Regem Sueciæ, qui violationem ejus simul cum adjunctis sibi rebellibq nostris subditis Cosaccis indefesse adjuvat, Chanumq Tartarorum magnis sibi donis conciliat: satq Cosaccos rebelles, mox è ditionibq suis expellere jubeat, quia propter huic pessimo hosti nostro cum Turcico comitatu simul promisimus, attamen ut ipse comitatus consisteret 500. hominibq, quibus per totum exercitum nostrum liberè transire licebit, quamvis omni jure Gentium cuilibet suum hostem quærere, ac prosequi ubiq licet, ut et à debita nobis prætensione extraditionis rebellium subditorum nostrorum abstinuimus, et promissa nobis V. Maj. illorum expulsione contenti esse voluimus: Summo tamen cum horrore post intelleximus, quod non solum secundum satisfactionem nobiscum initam Rex Sueciæ cum præfato comitatu à Bendero nondum emissus, et Cosacci rebelles è ditionibq Sult:neæ Maj. secundum premissa non expulsi sint sed et continuè Exercitus Turcicus Tartarusq Benderi accrescit et cum dicto hoste nostro, Chanum Tartarorum et Basam Silistriensem, et aulicos vestros illuc missos, consilia gerere, ipseq iste hostis noster scriptis suis disseminavit Sult:am Maj.tem V. nuper nobis cum factam confirmatamq pacem in gratiam ipsius violare velle, bellumq nostræ Czareæ Maj. inferre animi esse. Et quod superest rebellibq Cosaccis Mazeppæ Asseclis donensibusq nempe rebelli Nekrasoff à Chamo concessum est, ditiones nostras invadere, ac vastare, homines in Captivitatem abducere, sed et ipsis omne adjuramen præstatur, et multi Crimenses Cubanensesq Tartari in auxilium ipsis adjuncti sunt, qui et nuperrime facta invasione Regimenti Sumensis duos pagos Nezabaiskam et Torhoridium, ac prope Lebedinium pagum Masiegrimskam vastarunt, multosq homines secum abduxerunt, et quod maximam nobis suspicionem suscitat, permittitur istis rebellibq eligere sibi similem Rebellem